



Forum Ecclesiasticum

In Quo Jus Canonicum Universum, Librorum Ac Titulorum Ordine Per Quæstiones Et Responsa, Tam Canonistarum Veterum & Recentiorum, quàm Legistarum, in iis, quæ Utrique Juri, Canonico Et Civili Communia Sunt, Authoritate stabilita, Methodo clara & facili explanantur

Leuren, Peter

Moguntiae, 1720

Quæst. 416. Quales excessus committere contra religiosos, seu qualia gravamina iis inferre quandoque soleant Prælati, Rectores, & Canonici Ecclesiarum Cathedralium aliique Ecclesiastici.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73982](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73982)

in c. *accidentibus*. 12. h. t. & Host. *ibid.* v. *legitima causa*. & probabiliter censet Laym. *Th. mor.* L. 5. r. 7. c. 4. n. 4.

Quæst. 416. *Quales excessus committere contra Religiosos, seu qualia gravamina iis inferre quandoque solent Prælati, Rectores & Canonici Ecclesiarum Cathedralium, aliique Ecclesiastici?*

Resp. Sunt ferè sequentes 15. qui continentur c. 16. h. t. & enumerantur à Pirh. *h. t. n.* 24. & à Reiffenst. *h. t. n.* 7. Primò: volendo invitis Religiosis eorum confessiones audire, & injungere penitentias. Secundò: volendo eis Eucharistiam seu Communionem præbere. Tertiò: nolendo in eorum Oratoriis asseruari Eucharistiam. Quartò compellendo fratres Religiosos defunctos sepeliri apud suas Ecclesias, & ibi exequias eorum celebrari, cum tamen vi c. 1. 16. q. 1. omnes Religiosi in Cæmeteriis propriorum monasteriorum sepelendi. Quintò cogendo, ut, si qui fratrum (intelligendo id non de fratribus Religiosis, sive oblati, sed de confratribus manentibus in sæculo, vel de professis alibi remotè à suo monasterio defunctis) sepulturam in aliis, quàm suis Ecclesiis elegisset, funus priùs ad suas Ecclesias deferretur. Sextò: non permitiendo eos habere campanam in Ecclesiis, seu Oratoriis suis publicis. Septimò: non permitiendo eos habere Cæmeterium benedictum pro suis fratribus vel confratribus & oblati, si apud eos se sepeliendos elegerint. Octavò: certis tantum diebus permittendo iis celebrare divina. Nonò: volendo in domibus Religiosorum certum numerum Fratrum, Sacerdotum, Clericorum, conversorum vivere. Decimò: taxando pro voluntate sua certum numerum cereorum, lampadum & ornamentorum. Undecimò: exigendo cereorum residuorum reliquias, dum novi apponuntur. Duodecimò: non permitiendo novos eorum Sacerdotes alibi, quàm in suis Ecclesiis (scilicet secularium Clericorum) primitias celebrare. Decimo tertio: compellendo eos, ut in missis quotidianis, quas Religiosi in suis locis & altaribus celebrant, oblationes ad opus suum reciperent & reservarent, velut servi eorum. Decimo quartò: contendendo extorquere quiddam Religiosis oblationis nomine, dum missarum solemnias intra domorum suorum ambitum celebrarunt, pro fidelium oblatione donabatur. Decimo quintò: vindicando sibi quiddam Religiosis, tam in ornamentis altaris, quàm libris ecclesiasticis donatur. A quibus omnibus, ut desistant, & suos subditos comescant, universis Ecclesiis Prælati sæcularibus serè mandat Gregorius IX. Præter hos excessus & gravamina 30. alia, quibus Episcopi, iisque Superiores, pura Archiepiscopi, Patriarchæ &c. aliique Prælati Ecclesiarum Religiosos inquietabant, proposuit & prohibuit Clemens V. in *Clem. frequens, unic. h. t.*: quæ in ipso textu legi possunt. Insuper excessus & gravamina alia 12. Fratribus Prædicatoribus & Minoribus inferri à Prælati ecclesiasticis sæcularibus, in specie enumerantur & prohibentur in *c. nimis prava, h. t.* quæ quoque verbotenus inde descripta referuntur à Pirh. *h. t. n.* 25. à Reiffenst. *n.* 8. Notandum tamen hic, quòd in nonnullis casibus Episcopi, tanquam Apostolicæ Sedis delegati, non obstantibus Regularium privilegiis, possint contra illos procedere vi Concilii Trid. ubi etiam per aliquas Con-

sultiones Pontificias aliqua eorum privilegia revocata, de quibus paulò post.

Quæst. 417. *Qualiter excedant Prælati, tam Regulares, quam Seculares violando clausuram monasteriorum?*

Resp. Qualiter ii, aut etiam alii inferiores utriusque sexus excedant hanc clausuram ingrediendo, vel eâ egrediendo, satis constat ex dictis suprâ, præsertim ad L. 3. r. 35. quæ vide.

Quæst. 418. *Quinam sint excessus subditorum?*

1. **R**esp. Sunt ferè sequentes, primo: dum delinquant in suos Superiores, non servando interdicta ab iis lata, qui etiam excessus cadunt in Episcopos, dum interdictum latum à Papa non servant. *C. tanta*. 18. & *ult. h. t.* circa quem excessum notanda sequentia: quòd subditi, qui interdictum tale Superioris violant, perdant omnem jurisdictionem, etiam ecclesiasticam sibi competentem, cum ipso facto sint suspensi ipso jure ab officio, adeoque & ab usu jurisdictionis, sibi ratione officii competentis; ut sumitur ex *cu. c. tanta*, ubi, quòd sententiæ excommunicationis & interdicti, collationes beneficiorum, & institutiones factæ ab Episcopo post violatum ab eo interdictum sint irritæ, ut cum *Gl. in cit. c. v. irritas*, Abb. *ibid. n.* 1. *not. 4.* Covar. *in c. alma. p. 2. §. 2. n. 2.* factæ tamen ante interdictum ab eo sententiæ, collationes valent. Arg. *cit. c.* Item interdictum ecclesiasticum non servans incurrit irregularitatem, à qua non nisi à Papa liberari potest, *c. 1. de sent. & re judic. c. 1. & 18. §. ult. de sent. excom. in 6. ed.*, quòd interdictus simpliciter, vel respectu certi loci, cum sit suspensus ab officio & omni potestate clavium, si violet hanc suspensionem, v. g. celebrando in loco interdicto, fiat irregularis. Abb. *num. 4.* Covar. *l. c.* Pirh. *h. t. n.* 30. non tamen violator ipso facto est privatus suis beneficiis, sed privandus per sententiæ, sumitur ex *cu. c. tanta*, & Abb. *ibid. n. 2. & 4.* Sed neque irregularitatem incurrit, nisi exerceat actum proprium alicujus Ordinis, à cujus exercitio est suspensus. Abb. *n. 5.* Covar. *l. c.* neque eam incurrit exercendo ea, quæ sunt jurisdictionis, non Ordinis, ut si aliquem excommunicet. Abb. *cit. n. 5.* Pirh. *l. c.* De cætero hæc inhabilitas violatorum ob exercitum actum proprium sui Ordinis non tantum se extendit ad acquiritendum beneficium de novo, sed etiam ad beneficium acquisitum retinendum. Arg. *cit. c. tanta*. Barb. *ibid. n. 6.* cum hæc sit pœna non servantium interdictum, quòd amoveri debeant à beneficiis obtentis, *c. postulastis. §. quævisistis, de Clerico excom.* junctâ *Gl. in c. tanta. v. amotis.*

2. Secundò excedunt seu delinquant Clerici, qui accepto ab Episcopo seu Prælato beneficio aut dignitate, præsterunt eidem juramentum fidelitatis & reverentiæ, ac obedientiæ, negando illum esse dominum suum. *c. gravem. h. t.* quia agunt contra obedientiam & reverentiam ei promissam, & hinc puniri possunt, vi *cit. cap.* ut *Gl. ibid. v. homagii.* Host. *v. eod.* Abb. *not. 1.* non tamen graviter delinquant, nolendo illum vocare dominum suum, modò aliàs non negent ei reverentiam aut obedientiam promissam, nec propterea puniri possunt, cum etsi honestum sit, appellare eum dominum, non tamen id absolute necessarium est, sed sufficiat appellare eum Prælatum. Pirh. *h. t. num. 31.* Arg. *c. cavendum. 10. q. 3. & c. ita subjectus.*